



Copia Epistolae... Episc.  
Cisterciensis... Legato  
Galliarum... i. Regiam  
Legat. 1696.





MA

Q

**Q**

gra  
me  
sta  
lab  
cto  
nit  
per  
pro  
tal  
Co  
tes  
tat  
gni  
tio  
per  
ceb  
mo  
Sua  
ptu  
Sua  
ciã

MAP

# COPIA EPISTOLÆ

*Quam scripsit Excellentissimus Episcopus  
Cuiaviensis, Excellmo Domino Le-  
gato Galliarum.*

Illustrissime & Excellentissime Patrone.



Olens submissionem meam unâ & alterâ Ex-  
celæ Suæ testari vice, ab ipsâ residentia illius  
portâ redire debui, absentem publicisq; cu-  
ris à statione suâ evocatum reperiens. Quare  
in leuamen frustrati desiderij mei, obsequijq;  
presentibus, ingentissimis enim, repentinis-  
que casibus, jam Varsaviâ avocor, ulti-  
mum vale Exclæ Suæ mitto, illud unicum fla-  
grantissimè postulans, ut quem dignata est Sua Exca ante omnia  
merita mea, humanissimâ prosequi benevolentia, eundem con-  
stanti foveat gratia; quam mereri omni obsequiorum conatu al-  
laborabo. Et quoniam Exca Sua eo me fiducia obstrinxit pa-  
cto, ut quæ sentire circa futuræ Electionis progressû, ea pro inge-  
nito candore meo liberè explicem; audco igitur Excam Suam  
per boni publici commoda studiosissimè obligare, quatenus à  
promotione Principis de Conti resilire velit, quem etli, eximia  
talenta bellorumque vocales triumphi, supparem Regiæ faciant  
Coronæ, metus tamen Nominis huius per Regnatrices Majesta-  
tes, ex rationibus Statûs Nostri, in animis Civium pridem exci-  
tatus, & modò conservatus, remotiorem videtur à Throno Re-  
gni facere: nequè enim vellem Sermi Galliarum Regis promo-  
tionem, in aliquod venire discrimen, sicut & Excæ Vestræ, im-  
pensas laboris periclitari, quæ si optatum sortientur effectum, li-  
cebit mihi gratulari, sin minus, vix possem tantorum conatuum  
motibus, condignè compati; quoniam non temerarium Excæ  
Suæ exprimam sensûs mei iudicium etiam ex multis depromptum.  
Si quid ultrò singularitatis communicandum mihi Exca  
Sua habuerit, pari ac mecum, cum Theologo meo domestico fidu-  
ciâ agere potest &c. manens

Illustrmæ Excæ Vestræ

Devotissimus Servitor

Epus Vltis.

*Illustrissimæ Excell. Vltis.*  
*Alcu*

# Responsum Excellentissimi LEGATI.

*Illustrissime & Excellentissime Patrone.*

**S**mmo cum animi mei dolore, intellexi suam Excām ad me venire dignatam semel & bis, quo tempore valedictiones huc & illuc deferendæ, domi me sedere non permittebant: nec minùs etiam hoc me afflixit, quod Excæ Suæ conatus iterum obsequia mea præstare, tamen idoneum admittendo mihi tempus non sit inventum. Etenim humanissimis Excæ Vräe literis ore proprio satisfacere volebam, & quidquid priori nostro colloquio defuerat, uberiore sermone aliquantulum supplere. Verùm ubi publica Sermi sui Candidati negotia, tantoperè distrahunt Excām Vestram, ut difficilè possit alijs aures attentas præbere, ideò scribendum satiùs duxi, ut non modò benignissimis ejusdem characteribus, sed etiam consilijs, ut par est, respondeam. Et quandoquidem minimè dubito, quin eadem me, meaque omnia benignitate prosequi semper velit, quam mihi & verbis & scripto tam eximiè testata est; ego cum maximâ veneratione, & vi confidentiæ illius, quam in me reperit & approbavit, intimos mentis meæ sensus aperiam Excæ Vestræ.

Rem arduam sanè, ac supra vires meas longè positam, Excitia Sua mihi præcipit, dum invitat, ut à promotione Serenissimi Principis de Conti resiliam; ego enim hîc non propriæ voluntatis interpres aut dominus, sed Christianissimi Regis Minister quid aliud facere possum, quàm quod jubeor? præterea, cum nihil mihi possit esse antiquius, quàm Sermæ Reip: meam infinitam propensionem, & studiosissimam promptitudinem ostendere; quo pacto liceret mihi hanc unicam occasionem prætermittere? in quâ servitium illi certè majus, quam quilibet è proprijs Civibus præstare possum, promovendo in Regem futurum, talem Principem, quem ipsâ fatente Excellentia Vestra, fatentibusquè omnibus cujuscunque Gentis, aut factionis hominibus, *eximia talenta, bellorumquè vocales triumphis supparem Regiæ faciunt Coronæ*: Quid enim in hac proxima Electione quærunt Poloni? Nonne Regem Maximum, Regem Optimum, Regem bellicosum, sapientem, magnanimum, liberalem, modestum, affabilem; qui *tot eximijs talentis* Remp: ad pristinum opulentia, splendoris, & famæ statum reducat, *bellorumquè vocalibus triumphis*, (ut proprijs Excæ Suæ verbis utar) hostes Patriæ debellet, æmulos terreat,



3117

&

& vicinos in æternâ societatis atque amicitiaë necessitate contem-  
nat; qui regat populum suum exemplo potius, quàm authoritate;  
qui sit in bello primus bellator, in consilio primus consiliarius  
ubiquè norma cæterorum; quem nemo Polonus aut oderit, aut  
contemnat; qui sceptrum sibi nec lege, nec consuetudine, sed a-  
more & æstimatione delatum dignè ferre studeat, & quibus acquiâ  
fierit virtutibus, iisdem servare necesse habeat; qui, si à rectâ vis  
recederet, & liberrimæ Genti vellet aliquam jugi, aut servituti,  
speciem imponere, non habeat à vicinis Principibus auxilium-  
nec invenire possit asyllum præfens in aulis sibi sanguine conjun-  
ctis; qui denique in primo Regiminis sui ingressu, qualem  
reperit Remp: talem adjuvet, non personâ tantum, sed opibus.  
Namque duobus eget Resp: Domine Mi Excme; Viro, & subsi-  
dio: Viro qualem modo descripsi; subsidio, quod reale sit ac præ-  
fens: consideremus itaque Statum Poloniæ, Exercitum confæde-  
ratum, stipendia militi ad summam enormem debita, bellum  
quatuordecim annorum sine fructu gestum, nec finitum, imò tan-  
tò periculosius excandescens, quantò majores addit imperio suo  
vires novus Imperator Turcarum, exhaustas Provincias, Comitata  
perpetuò rupta, factiones, & divisiones domesticas, tantum ex  
illa parte grassantes, quæ non publicum, sed privatum commo-  
dum quærit, & serias atque urgentes Nobilitatis Universæ queri-  
monias eludit. Ergo nihil ad ista reflectendum? ergo consuetu-  
dini serviendum? ergo personarum acceptioni, non utilitati pu-  
blicæ studendum? absit.

Cur enim sibi Polonia jus eligendi Regis tam strenuè vindi-  
cavit? tam fortiter, & intactè servavit? nisi ut eum creare posset,  
quem rebus suis opportunum atque accomodatum judicaret: si  
Corona ista foret Hæreditaria, gemerent fortasse populi eam tali  
jure deberi minùs dignis & utilibus, quam dignioribus, & utilio-  
ribus dari posse exoptarent. Ecce res in integro est: potest dari  
cuilibet, non ergo dignus est reiiciendus, ut adulatoriè præferat-  
ur alter; quod quidem bonâ veniâ Candidatorum omnium di-  
xerim, quos fugillare, nec meis moribus convenit, nec Regis  
mei voluntas est. Illud unicum probare volui Excæ Vestræ, me-  
rita tantum spectanda esse, & commoda Reip: cætera planè sper-  
ni oportere.

Quod verò Exca Sua mihi amantissimè scribit: Nolle se  
promotionem Regis Chmi in aliquod venire discrimen, ac metum esse  
Nominis Gallici, per Regnatrices Majestates, ex rationibus Statûs hu-  
iusce in animis Civium pridem excitatum, & modò conservatum; unde  
remotior, Gallus Princeps Candidatus, aliundè meritissimus, à Throno

*Jo. Stelm*  
*Jo. Stelm*

*Regni feret;* hoc diligenter, & maturè considerandum venit. Videtur enim metus iste, veris fundamentis carens, inter vulgares errores annumerandus; ille autè de totâ Rep: non benè sentiret, qui putaret eam vacuis hujusmodi phantasmatis, & impressionibus duci, non solidis & evidentibus argumentis, in tam grandi negotio, ubi de spe, & salute Civium agitur: & vereor, nè qui metum illum excitatum supponunt, excitare potiùs velint aut sopitum, aut nullum. Dicat enim mihi Sua Exca, quæ tam acri, tamquè prudenti pollet iudicio, Mulierem fortem quis inveniet? de viro forti nunc agimus; & quæ comparatio potest institui bona, viri cum muliere? si per Reginam Mariam aliquid peccatum est, unde Cives illam regnare nolent, vel per se, vel per Filios; nuncquid Sermus Princeps de Conti filius ejus est? at sunt ex eâdem Gente Gallicâ, nuncquid omnes in Galliâ sunt ejusdem indolis & complexionis? an omnes Poloni similes? Rex Michâél, Rex Ioannes, sub eodem cœlo nati, toto cœlo dispares fuere: cur ergo confundemus eos, Bone Deus! quos natalia, educatio, sexus ipse tantoperè discriminant, & si quæ similitudo timenda, nonnè potiùs in proprio sanguine, quàm in alieno? velletnè Excia Sua dâtis in publicum motivis uti contra nos, quæ Sermo suo Candidato nocerent magis? & partes illas, quas ipse tam studiosè, tam apertè tuetur, unci huius argumenti retorsione subvertere?

Videamus autem quibus impulsa Confilijs Serma Regina, tantam in se, suosque excitaverit invidiam? an Gallicis? an Austriacis? quemnam audivit? aut cui placere voluit? cùm ituros in Hungariam milites dissipavit; cùm Poloniam solemnè Confœderatione voluit alligari Germaniæ sine ullis restrictionibus; cùm Gallicum Legatum de Vitry ejecit; cùm Sermum Principem Iacobum, Serma Palatinæ Neoburgensi conjunxit: suntnè isti Gallicæ, an Austriacæ factionis partus? attamen Galla fuit Regina: sed quid amplius in Rem Austriacam Germana facere potuisset?

Nolebamus nos tam arctis, tamquè inextricabilibus vinculis Rēpub: vicinæ, semperque (ut ajunt Illustmi Zamoyscius & Fredro) metuendæ potentix, non modo addictam, sed quasi mancipatam fieri: vicit nos Galla Regina, sed quid inde boni acciderit Reip: testes miseri Cives, quorum imminuta substantia, quorum devastati fines, quorum Nomen in aulâ Cæsareâ, etiam post ipsam liberationem Viennæ, ac totius Germaniæ ab imminente servitute redemptionem, tantùm vilipenditur, quantum apud nos in honore, & veneratione est.

Sciebamus, nec obliviscimur quid Majores vestri, per quos  
ste-



stetit libertas, de vicinis illis dixerint, & postesufriis tradiderint; eorū vestigijs insiscebamus, & nunc insistimus: neque illum in Poloniâ regnare cupimus, qui vel sit Austriacus, vel Austriacæ domui tam specialiter addictus, ut illi suâ Coronâ, dignitatē, auctoritatē omnē referat acceptâ; ne tandē de Poloniâ fiat, quod factū est de Bohemiâ & Hungariâ. Sunt autē illa tantæ, tamque cōpertæ veritatis, ut etiâ apud Polonos in cōmune adagiū trāsierint;

Dicet Ex. Vestra, sed neq; volet Imperator, ut hīc regnet Gallus, ergo par utrobiq; ratio. Nequaquam, imò valdè dispar. Etenim est hoc axioma notum omnibus, Cæsarem esse proximum, ergo timendū, Christianiss. verò remotū, ergo prodesse posse, nocere nunquam; qui timendus & suspectæ est ambitionis, non audiendus, qui non timendus, semper consulendus est. Non videbit Ex. Sua bellum inter longinquos, sed inter finitimos; Poloni cum Gallis, Italis, Hispanis, Persis non decertârunt, sed cum Germanis, Hungaris, Svecis, Turcis, Tartaris, & Moschis; amplius dico: non debet Serma Resp: considerare, quid isti vel alteri displiceat, sed quid sibi bonum. Si Germanus talis offeretur, qualem Galli offerunt, iisdem præsentibus auxilijs, belloq; infructuoso subvenientem, non consulite Galliam, accipite illum vobis, dummodò periculosus ille non sit, nec Germanicis viribus uti possit ad opprimendam Patriæ libertatem. Si Gallus omni virtute præditus, & dives, cum summâ utilitate vobis proponitur, accipite illum inconsultâ Germaniâ; non enim illa vult res suas ad vestram voluntatem dirigere, nec vestras ab illâ pendere necesse est.

Quid ergo dicet Cæsar? dicet Polonos Hungaris & Bohemis esse sapientiores; dicet eandem à vobis in eligendo Rege vestro adhibitam prudentiam, quam ipse adhibet in seligendis Magistratibus suis; dicet illum in Poloniâ factum Regem, qui florentissimæ huic Reip: Provincias avulsas, & antiqua decora unus restituere valet; de quo vos tantò magis lætari debebitis, quantò minùs ipse lætabitur. Sed arma in Poloniâ inferet, si Galli Regis fiet Electio? quæ arma? illanè quibus Hungariam, Rheni littora, stationes in Italiâ tueri vix potest, nec verè tuetur, & si per huiusmodi minas incutitur timor Reip: jam ubi est libera Electio? igitur à vicinis erit petendus Rex, non eligendus, & quo sine ducti Germani nollent hic regnare præstantissimū Principē, nonne ut Reip: vires magis ac magis corruât, & ipsa tandem fiat Aquilæ bicipitis præda:

Non ille metus invaserat Majorum Vestrorum animos, cum Henricum Gallum, Ernesto Austriaco prætulerunt; eadem erat, tunc temporis, vicinitas quæ nunc est, eadem utriusq; Domūs æmulatio, iisdem minis, & futilibus motivis Ernesti defen-

fores utebantur, quibus hodie videmus non dari, sed affectari creditum: quid profuit? eò magis in suo proposito perstitit constans Resp. quò vehementius illam dimovere tentabant, & si per inopinatâ Christianiss. Fratris sui mortē, Henricus, culpâ quidem satis magnâ sed excusabili tamen in hæreditatē suâ bellis Civilibus quassatam, vix non deperditam se nimis properè, tacitèque recepit, certè quanto fuerit amore dignus, vel ipsæ prosequentium Polonorum lacrymæ testatæ sunt, quos illum non elegisse, sed amisisse pœnituit. Nihil tale à nostro Principe metuendum, qui cùm Henrico, nec splendore generis à sæculis octo regnantis, quod unum & idem est, nec virtutum famâ cedat, habet hoc singulare, quòd in successionis ordine sit decimus Princeps è Regio sanguine Galliarum.

De Reginâ Ludovicâ non loquor, fuit enim illa quamvis in Galliâ nata, non tamen ex nostrâ Gente oriunda, sed ut omnes sciunt, ex Familiâ Gonzagâ Ducum Mantuanorum, quæ Itala est. Pios ejus cineres ne commoveamus, multa benè gessit, multa fortassè minùs, quidni placebit bona nobis attribuere, cætera sexui. Porro jam monui quæstionem esse de Viro non de Muliere, melior est iniquitas viri, quam mulier benè faciens, inquit S. Scriptura. Et quamvis uxorem habeat Sermus Princeps de Conti ex eodem Regio sanguine, Parentibusquè Sermo Principe Anguianensi, & Sermâ Rheni Palatinâ Electorali Principissâ, natam; nihil tamen de ipsâ metuendum, cùm illa sit notæ apud omnes mansuetudinis, & ita Marito subdita, ut nullâ in Regno partē sit acceptura, præter eâ quæ Reginis verè competit, nempe ut cætus aulicos præsentia suâ & magnificentia decorari curet. Non enim alio ex fonte derivat illud Muliebre Imperium, quo non Polonia modò, sed multa Regna plerumque jactantur, nisi ex otio Principum. Sit ergo Rex strenuus & sedulus, amans gloriæ suæ, negotijsque attentus, jam Reginæ non imperabunt. Unde accidit ut in ipsâ Galliâ ubi olim exteræ Reginæ rixas moverant in minorennitate Regum, ipsæ postea nec auditæ fuerint, statim atque Deus concessit nobis Regem verè magnum.

Ultimum est quod diluam scilicet Ex. V. dicit: *Esto sint Rex & Regina omni exceptione Majores, at statim atque Gallus ad solium Polonicum evehctus fuerit, quamvis in eum nihil moliretur Cæsar, attamen ille in Cæsare molietur bellum, & Remp: ad pericula nova deducet, ut placeat Regi Christianissimo.* Respondeo I. Non placitum nobis Regem novum Poloniæ, qui Poloniam, seipsum, & gloriam suam, tam apertè contra statûs rationes præcipitaret, præsertim ubi jam pervenimus ad limen universalis pacis in Europâ Christianâ concludendæ, quam Deus fortassè dabit ante Electio-

nem. 2. Si quid contrarium hâc super re timeretur, facillimè per Pacta Conventa novi Regis præcaveri possêt, ut ipse juramento se obligaret, non tantùm ad observacionem in genere omnium Tractatum, fæderum, & Pactorum antea initorum inter Prædecessores Reges & Remp: ac alios quoslibet Principes, sed etiam in specie illorum, quæ nuper contra Tyrannum Orientis sancita sunt: nonne hoc remedio sanabitur subitò metus?

At, inquit Exc. Vestra, *Pacta Conventa fortè non observabit.* Iterum respondeo, si hoc timetur, de quo Candidato justius, an de illo qui nullas in viciniâ copias aut affinitates habet; an de illo qui habet: an de illo qui viderit Coronam è familiâ minùs observatrice promissorum delapsam, talique semper exemplo terrebitur; an de illo qui hanc nihilominùs à Patre collegèrit. Ista directè contra Sermum Suum Candidatum militant, cur obijciuntur nobis? Deinde, Possunt executione debitâ Pacta Conventa defraudari, (si Rex erit ita sui ipsius immemor) in ijs, quæ à solâ eius voluntate pendent, ut sunt largitiones munerum, Officiorum &c. Sed in ijs quæ nunquâ ille facere, nec tentare potest sine consensu Reip: quomodò potest fidem frangere? jam hoc certum est & indubitatum, quòd bella sine unanimi nobilium suffragio in Comitijis congregatorum non possunt declarari: Rex itaque novus si vellet aliqua suscipere, deberet proponere Reip. Dicat mihi Exc. Vra, quâ fronte proponeret ille palam id, cujus contrarium jurasset, & quid tunc faciliùs quàm propositionem, si fieret, rejicere? Quidquid ergo hîc timetur, chymæra est. Quod verò dicitur illum munera & beneficia Reip: solis Nobilibus debita concessurum exteris, alia chymæra est, hoc enim & lege vetitum, & in praxim redigi nequit à quocunque Regnante.

Opponet profectò mihi, quod à multis partium suarum audio, rationes hæc meas apud sapientiores quidem valituras, non autem apud multitudinem Nobilium, qui cæco, ut illi dicunt, impetu, solisque anticipatis opinionibus ducti, non attendent ad tot, & tantas rationes statûs, & Regem suum sine ullâ consideratione pronuntiabunt, id enim procul dubio intellexit Exc. Vra, quando Principem Nostrum Borbonium, confessâ dignissimum, attamen propter hoc de nomine Gallico vulgare phantasma certociùs ruiturum declaravit. At verò non sum ego in hâc sententiâ, pluris æstimo Polonos omnes Nobiles, sive qui divitijs & muneribus cumulati Urbem frequentant, sive qui resident domi, etsi enim non sit inter eos fortunæ, at certè nobilitatis & magnanimitatis est æqualitas. Omnes ad libertatem, & consilia Reip: nati, probè norunt, quid expediat, quid non: in ijs spem omnem

nostram collocamus, ijs tantum placere volumus. Alij partem Reip: ad se viis nescio quibus allicere praesumunt, nos totam Reip: rite congregatam expectamus, alij Regnum affectant, ut regnent, nos, ut bene sit Regno; alij confederant exercitum, nos confederationi illi volumus satisfacere; alij Provincias à corpore Reip: conantur avellere, ut ab exteris in ambjtu suo protegantur, nos amissas recuperare, & fines Reip: promovere.

Cum igitur audient illa centena millia Nobilium in equis, eos privatis factionibus excludi velle, qui soli possunt utiles esse Reip: pro tali tantoque Candidato qualis est noster, afferri tot milliones florenorum, non in promissis, sed inpraesenti numerataque pecuniâ ad satisfactionem exercitui debitam, expugnationem Cameneci proprijs sumptibus ante Coronationem datis obsidibus, & sub nullitate Electionis, restorationem monetæ, rei frumentariæ commercique Gedanensis, quæ omnia nostris in manibus sunt, nec quivis alius efficere potest: præterea nullam pro futurâ Reginâ reformationem, ne panis bene merentium aliò distrahatur, & alia bene multa, quæ suo tempore manifestabimus; credat mihi Exc. Vra, tunc melius sibi consulturos Nobiles, quàm ut anicularum fabulis adhæreant, umbram pro corpore arripiant, & ambitum privatorum publicæ utilitati, tamque certis & evidentibus emolumentis anteponant. Persuasio illa non libellis, non laboribus, non vigilijs, non industriâ, non eloquentiâ, non terriculamentis perficietur, sed re ipsâ, & veritate.

Ex ijs omnibus videt Exc. Sua, non adeò me causæ meæ diffidere, quæ totius Reip: est, quàm Exc. Sua existimat, vel ad diffidendum invitat. In cæteris omnibus obedientiam meam probare poterit, in hoc neque Rex meus, neque Serma Respublica sinunt obtemperare me mandatis Exc. Vrae, quæ cum sit arbitra sui ipsius, & proprii sensûs Domina, potest à proposito suo facilius, quàm ego à meo resillire. Nec tamen hoc exigo, nisi inquantum Reip: commoda videntur exigere. De cætero, maximâ cum veneratione maneo.

Illstræ Excellentia Vestra  
*Devotissimus Servitor.*

MELCHIOR DE POLIGNAC

*Christianissimi Regis Leg: Extraordinarius*

*Imprimatur suasoria hæc Scriptio decora & Civilissima Genti Polonæ.*

STANISLAVS Episcopus mpr.

Varlaviz die 16. Octob. Anno 1696.




tem  
Rēp:  
ent,  
ede-  
cip:  
nos


in  
tiles  
ferri  
enti  
am,  
pro-  
tio-  
quæ  
est:  
be-  
suo  
fibi  
nt,  
icæ  
nt.  
in-  
re

ceæ  
ad  
am  
pu-  
fit  
ito  
go,  
o,

r.

us





BIBLIOTEKA KÓRNICKA

3117



CKA

Copia Epistolae... Epox.  
Cujavienis... deqáto  
Galliarum... i Reiparum.